

DISPUTATIO  
*De*  
CAUSA & CAUSATO  
*in genere,*  
*Quam*  
Deo favente,  
Et inclytæ Facultatis Philosophicæ  
Collegio approbante, publicè ventilandam.  
sistunt in Almâ Lipsiensi

M. JOHANNES *Walt her /*  
Gaudicensis Misnicus, SS. Theol.  
Studios.

ET  
CHRISTIANUS LINDNER Rochlicensis,  
Phil. Baccal.

*ad diem 28. Novembris.*

Anno M. DC. XLVI.

Loco horisq; consuetis.

---

LIPSIAE,  
Typis Timothæi Hönnii,

*J. G.*

a. CXXVII. 27.

Coll. diss. A  
127, 27

VIRIS  
Reverendâ Dignitate, Amplitudine, Excellentia,  
Claritate, Experientia & Gravitate Emi-  
nentissimis,

Dn. CHRISTOPHORO BULAEO, SS. Theol. Do-  
ctori, Episcopatûs Misnenfis Superintendenti  
& Consistorii Assessori, nec non apud Wurcenfes Pa-  
storiceleberrimo, meritissimo, &c.

Dn. JOHANNI BENEDICTO CARPZOVIO,  
SS. Theol. Licentiato & Prof. Publ ut & ad  
D. Thomæ Archidiacono præximio, vigilantis-  
simo, &c.

Dn. PHILIPPO MÜLLERO, Med. Licentiato,  
Mathem. Profesl. Publ. Philosoph. Facult. &  
Nat. Saxon. Seniori, Academiæ Decemviro, Majoris  
Princip. Collegii Collegiato, &c. meritissimo, di-  
gnissimo.

Dn. GOTOFREDO Trüben / Sereniss. Sax.  
Electoris in circulo Lipsiensi Qvæstori lauda-  
tissimo, &c.

Dnn. Patronis, Promotoribus, Praeceptoribus &  
studiorum suorum Evergetis debito ho-  
noris & Observantie cultu prosequendis,  
Hæc Theorematæ Philosophica  
Reverenter & Officiosissime  
D. D. D.

Christianus Lindner Respondens.

Sächs.  
Landes-  
Bibl.

Σὺν Θεῷ!

Προοίμιον.

**A**uca sciuntur, plurima ignorantur,  
& tamen omnium scientiæ desiderantur.  
Quid causa? Res miramur, non rimamur, aut si rimamur, non ea, quæ decet, rimamur diligentia. Qvod si enim de rerum causis cognoscendis tam solicii essemus, quam solicii sumus de illarum capiendis fructibus, dubium profecto nullum esset, quin multorum, quæ adhuc nobis incognita sunt, scientias eruere & nostro intellectui felicitatem comparare possemus maximam. Scire namq; quid aliud est, si Philosopho fidem tribuas, quam rerum causas cognoscere? His perspectis res habes perspectissimas, his ignoratis, tota ignoratur Philosophia, tota ignoratur Theologia, cunctæq; ignorantur Facultates cæteræ. Sed unde, quæreris, ista mihi causarum cognitio? Melius vix eam acqviri posse puto, quam si singula, quæ circa causarum genera singula veniunt expendenda, diligenter expendas, atq; ex iis generalem quasi naturam causæ & essentiam constituas, quæ regulæ instar ac normæ sit, ad quam omnes in particulari causas fas erit judicare. Ejusmodi σκέψις hâc vice pro viribus instituere animi fert lubentia. Qvo verò tibi, benevole Lector, de nostro proposito melius constet, scias nos impræsentiarum tantum quid de causarum naturâ, earum divisionibus communissimis, nec non regulis aliquot generatissimis sentiamus, explicaturos esse, cætera, quæ unumquodvis causæ genus in specie concernunt, in aliud tempus reservaturos. Deus cæptui huic nostro ex alto benedicat!

A 2

Theo-

*Arist. lib. 1.  
Post. Anal.  
c. 1. §. 1.*

# Theorema I.

**C**AUSAM dicimus tantum id, quod influens  
in aliud causalitatem veram exercet.

§. 1. Vox causæ à variis usurpatur variè. *Jureconsultis* causa est  
omnis actio, quam in Senatu vel foro habemus. Hinc Phrases  
istæ tritæ; *Causam alienius agere*: *Causam pro aliquo dicere*. Et his  
causa non raro idem est, atq; *Lis seu Controversia*. Rethores the-  
ma nominant causam oratione pertractandum. Unde rerum  
discernendarum certas constituunt classes, quas genera causarum  
appellitare solent. *Philosophis* causæ nomine venit id, quod in-  
fluit in aliud, seu à quō aliud est.

§. 2. Qvum verò in aliud influere, & res ab alterâ esse dicatur, vel  
impropriè, vel propriè, hinc fit, ut isti iterum in diversas abeant  
sententias. *Sunt*, qui Phrases has accipiunt latè, pro omni eo,  
quod ordinem, qualiscunq; consecutionis habet ad aliud, in quâ  
acceptione Aristoteles privationem causæ appellatione insignire  
non veretur. Et alii nō tantum quodlibet principium, sed etiam  
conditionem, ad opus producendum præreqvisitam, non tamen  
qvicquam conferentem, aut adejus constitutionem pertinentem,  
causam faciunt. *Sunt*, qui eas accipiunt strictè, & ad solam cau-  
sam efficientem applicant, cujus sententiæ est Seneca, in unâ causâ  
efficiente subsistendum, reliqua verò veluti adjumenta hujus cau-  
sæ, aut conditiones necessarias esse, scribens. *Sunt* qui mediâ in-  
cedunt viâ, & ea solùm in aliud influere dicunt, qvæ veram exer-  
cent causalitatē, seu à quibus alia vel extrinsecè, vel intrinsecè de-  
pendent, quam significationē habet Aristoteles, & nos aliis post-  
habitatis eam tanquam hujus loci propriam ita propugnamus :

Qvæcunq; significatio Philosophis est usitissima & causæ na-  
turæ maximè genuina, illa meritò defenditur.

Hæc posterior causæ significatio Philosophis est usitissima,  
& causæ naturæ maximè genuina,

E. Hæc posterior significatio meritò defenditur.

*Minoris probationem*, cùm *major* sit in aprico, damus hanc:  
Quod scilicet ista Aristotelis & multorum præclarissimorum Me-  
taphy-

Arist. 12  
Met. c. 2.

Senec. lib. 8.  
Epist. 66.

Arist. lib. 5.  
Met. c. 2.

taphysicorum authoritate nitatur, & ad causæ essentiam quæm  
proximè accedat, eam quippe tūm à principio, tūm à rebus aliis  
omnibus secernens, id quod prolixius ostendet Theor. III. & IV.

## Theorema II.

Causam & causatum, prout quidem ea à no-  
bis generalissimè considerantur, ad Mataphysi-  
cam pertinere, & in eà hujus disciplinæ sede do-  
ceri, non tantum posse, sed omnino debere, ubi  
affectiones Entis relativæ disjunctivæ expendun-  
tur, certò persuademur.

§. 1. Et Logicam & Metaphysicam & Ethicam & Politicam &  
unamq; disciplinam aliam suarum, circa quas occupatae  
sunt, rerum causas expendere, facile damus, Interim hanc no-  
stram theoreticam causæ tractationem, quæ in actu signato fit, & in  
communi causam quid & quotuplex sit, quasq; proprietates habeat,  
excutit, ad solam Metaphysicam propriè spectare hoc probamus  
Syllogismo:

Qvicquid ad Ens, quæ Ens refertur, id in sola Metaphysicâ  
doceatur oportet,

Causa & causatum in actu signato spectata ad Ens, quæ Ens est,  
referuntur,

E. Causa & causatum in actu signato spectata in sola Metaphy-  
sicâ doceantur oportet.

Et Major & Minor suâ radiant luce. Major quia Ens, quæ Ens, &  
omnia, quæ illud concernunt, sunt verum & adæquatum Meta-  
physicæ objectum. Minor, quia Causa & causatum eo modo con-  
siderata, sunt ejusmodi generalissimus de unâqvâq; causâ specia-  
li formatus conceptus, qui Enti, quæ Ens est, cum disjunctione rectè  
tribuitur.

§. 2. Metaphysicam hanc nostram causæ & causati σκέψιν sibi  
jure quodam vendicare dedimus probatum. In quâ verò præcise  
ejus parte veniant evolvenda, non omnium una mens est Autho-  
rum. Quidam hanc materiam ad Metaphysicæ subiectum re-

Sæaretz. diffut ferre dicuntur, *Quidam* eam inter ejus affectiones numerant.  
12. Metaph. Nos pro defendendâ in Theoremate positâ sententiâ sic argumen-  
in Proem. tamur:  
Lipp. in comp. Metaph.

Qvælibet Entis affectio disjunctiva relativa in illâ Metaphysi-  
cæ parte est explicanda, ubi agitur de affectionibus Entis  
disjunctivis relativis,

Causa & causatum sunt affectio Entis disjunctiva relativa,  
E. Causa & causatum sunt explicanda, ubi agitur de affectio-  
nibus Entis disjunctivis relativis.

*Majoris* probationem nemo èvμεθόδως procedens postulat.  
*Minor* claret. Causa enim (a) Entis est *affectio*, qvia alium ab  
Ente formaliter distinctum conceptum importat, qvi Ens tran-  
scendentaliter denominat. (b) *Affectio disjunctiva* est, qvia iste  
conceptus generalissimus cum Ente non nisi per oppositi illatio-  
nem reciprocatur. (c) *Affectio relativa* est, qvia ex naturâ Entis  
non *absolutè*, sed *relatè* spectati resultat.

### Theorema III.

Causa est principium influens in aliud.

§. 1. Singula hujus descriptionis verba singulatim sunt ex-  
aminanda. Dicitur causa *Principium*. Voce principii *Genus*, vel  
saltem id, qvod Generis vice fungitur, indicatur. Principium au-  
tem velim intelligas (α) non *complexum*, qvod est tota proposi-  
tio, è qvâ per se notâ pendent conclusiones. V. g. *De quolibet af-*  
*Jacob. Mart.* *firmatio vel negatio vera est*; Item: *qvicquid sit ab alio fit* &c: Sed  
*lib. 1. Part.* *incomplexum* (β) non *cognoscendi*, qvod cognitioni duntaxat no-  
*Metaph. sc. 7* stræ inservit, de qvo videantur Metaphysici: Sed *essendi*; idq; non  
*pag. 287.* *solum* (γ) ut *Quo*, qvod medium saltem causalitatis exercendæ  
*Calog. Part.* *est*: Sed ut *Qvod*, qvod ipsum per ejusmodi medium causalitatem  
*ab init. cap. 14.* exercet.

§. 2. Genus excipit *Differentia*. Causa est *Principium*, non  
qvodvis, sed *influens*. Per *Influentiam* istam principiū restringitur,  
& causa ab ipsô tanquam strictius qvid à latiori distinguitur. Non  
enim de *omni principio*, sicut de *omni causâ rectè affirmabis*, qvod  
influat, sed tantum de *aliquo*, puta *causalitatem*. Per *influxum* porrò istum  
nihil aliud intelliges, qvam *veram* & *actualem causalitatem*, qvâ

una

*unaquavis causa in suo Genere effectum attingit, eiq; aliquid confert, sive id fiat per modum productionis, sive per modum constitutionis; sive fiat per contactum realem, sive virtualem; Sive per virtutem propriam, sive aliunde concessam; sive quovis alio modo quo causatum à suâ causâ consecutionem habere potest.*

§. 3. Influxum istum sequitur vox *Aliud*, in qvod ille fieri debet. Indigitatur per Jò aliud in genere omne causatum, qvod in specie Effectum, Materiaatum, Formatum, & Finium appellamus. Illud, inquam, causatum vocatur *aliud à suâ causâ*, non *atietate*, ut cum Metaphysicis loqvar, semper subjecti vel suppositi; sed *quæcunq;*, qvæ sufficit ad rationem causati, salvis requisitis cæteris.

§. 4. Evolutis ita breviter definitionis verbis, eam porrò esse legitimam sic ostendimus:

*Quæcunq; definitio dicit quid sit definitum, eiq; omni, soli, & semper competit, illa est legitima,*

*Hæc causæ definitio est talis. E.*

*Major m omnis bonæ definitionis requisita probant, ita ut eam in dubium vocans, non tam absurdus, quam ridiculus foret. Minoris veritas elucescit. Quid enim (1.) sit causa partim per conceptum communem, quem vocabulū infert Principiū, partim per conceptum proprium, quem reliqua definitionis verba subministrant, exprimitur. (2.) Nullam poteris afferre veram causam, sive illa sit Physica, sive Logica, sive Ethica, sive Mathematica, sive quævis alia; Sive sit Efficiens, sive Finalis; sive Materialis, sive Formalis; sive Universalis, sive Particularis, cui hæc definitio ritè applicata, non conveniat. Convenit inquam omni cause, ubicunq; locorum sit, eo sc. tempore semper, quando vera causa existit. Nec omni causæ tantum & semper hæc definitio est applicabilis, sed etiam (3.) soli, ita, ut nec ulla alia res sisti queat, ad quam totam hanc definitionem rectè intellectam jure transferas.*

## Theorema IV.

*Causæ species sunt quatuor. Efficiens, Materia, Forma & Finis.*

§. 1. Probam hanc & adæquatam causæ esse divisionem, evidenter ostendit Aristoteles, quem seqvuntur Scheiblerus, Jacobus Maiti-

Arist. lib. I.  
Metaph. c. 3.  
item lib. 4. c. 2.

† Et lib. 2. Phys. c. 2. seqq. Scheibl. part. I. Metaph. c. 22, q. 5. pag. m. 554

†

Jacob. Mart. Martini, Calovius, & alii. Nos ne autoritate tantum pugnare  
in exercit. videamur, ita progredimur:  
Metaph. lib. I. Qvot dantur in effectu producendo, distincti influxus, tot sunt  
Exer. 4. p. 135 statuendæ causæ;  
Calov. pars. Sed qvatuor nec plures, nec pauciores dantur in effectu produ-  
Gen. Metaph. cibin. c. 15. cendo distincti influxus;  
P. 513. E. Qvatuor, nec plures, nec pauciores statuendæ sunt causæ.  
Svaretz. diff. Majorem extra controversiæ aleam ponimus. Qvum enim influ-  
12. Metaph. xus ille actualis, qvem in definitione tetigimus, sit de ratione  
scit. 3. n. 10. causæ, distinctus omnino ubi est, distinctam seqvi causam oportet.  
P. 246. Minorem præter quotidiam experientiam acutissimus probat Svaretzius, sic de qvatuor harum causarum influxu differens:  
*Influxus cause Materialis & Formalis est interinsecus*, per internam  
compositionem: *Influxus cause Efficientis & Finalis est extrinsecus*.  
Rursus: *Influxus materie est per modum potentiae; Forma per mo-  
dum actus, Efficientis per actionē seu mutationem realem; Finis per in-  
tentionalem aut metaphoricam.*

§. 2. Non desunt, qvi in diversam hīc à nobis abeunt senten-  
tiam. *Quidam* enim, ut supra Theor. I. §. 2. dictum, in defectu  
peccantes, unicam tantum causam, *Efficientem* nempe, statuunt,  
in qvorum numero Platonem fuisse perhibent, & Senecam, qvi  
ex Stoicorum mente causam ultra *efficientem* extendere nolue-  
runt; *Quidam* verò ad excessum declinantes, causā *instrumentali*,  
*ideali* seu *exemplari*, item *causā sine quā non*, causarum numerum  
augere sunt conati. Verū & illis & his qvid respondendum,  
qvamq; firmo & illorum & horum objectiones stent talo, mon-  
strat Scheiblerus & alii Metaphysici, ad qvos Lectorem remitti-  
mus. Nobis nostram nunc probāsse sententiam sufficiat.

## Theorema V.

Ex qvatuor hisce causis aliæ vocantur *internæ*,  
*Materia & Forma*; aliæ *externæ*, *Efficiens & Finis*.

Arist. lib. 5. §. 1. Divisione hāc nobis præit Aristoteles ita scribens:  
Metaph. c. I. Άρχων μέν αἱ ἐνυπάρχοσι, αἱ δὲ ἔκτος, h. e. Principiorum alia  
quidem ipexistentia sunt, alia vero extrinseca. Benè hīc observan-  
dum,

dum, quod *hō internum & externum* non uno modo accipiatur. Aliud enim est internum & exterum ratione existatis seu subjecti; aliud ratione essentiae seu causati. Non illō, sed hoc respectu causae vocantur internæ & externæ. *Interne* sc. quæ in effectus productione concurrunt ad intrā, h. e. quæ ejus ingrediuntur essentiam. *Externe* verò, quæ, licet non raro sint in ipso subjecto, & ita ratione subjecti internæ dicendæ, essentiam effecti non ineunt, sed id saltem extrinsecus producunt.

§. 2. Positâ hâc distinctione ad probandum Theorema sic colligo:

1. Quæcunq; causæ effectus ingrediuntur essentiam, illæ non sunt causæ externæ, sed internæ,  
Materia & Forma effectus ingrediuntur essentiam,  
E. Materia & Forma non sunt causæ externæ, sed internæ.
2. Quæcunq; causæ non ingrediuntur effectus essentiam, illæ non sunt causæ internæ, sed externæ,  
Efficiens & Finis non ingrediuntur effectus essentiam,  
E. Efficiens & Finis non sunt causæ internæ, sed externæ.  
*Majores* ex jam dictis sunt verissimæ. *Minores* singularum harum causarum essentiæ probabunt, quas suo loco vide evolutas.

## Theorema VI.

Causa porò dividitur (1.) In universalem, quam alii primam vocant, & particularem, quam appellant secundam. Hæc, non illa, ad certum causatum est determinata.

§. 1. Ita non *specifice*, sed quoad ordinem dum taxat agendi causæ distribuantur. Consistit autem tota hæc distinctio in unius Phrasos explicatione, quam si attulerimus, parùm difficultatis relinquitur. Ad certum causatum determinata esse, quando dicitur causa particularis, hoc dicitur, quod ipsa in effectus productione ita concurrat, ut ex simili concurso alius ab hac specie diversus provenire nequeat. Non determinata ad id esse dicitur causa universalis, quod eodem concurso & hic & ille & iste effectus produci queat. Exemplo res fieri clarior. Deus, quando homo gene-

randus, pari modō concurrit & agit ac si equus, vel aliud quodam animal sit procreandum. Non sic homo, quippe qui isto influxu, quem præbet in productione hominis, non potest non procreare hominem scil. ex se, & per se, cæteris etiam omnibus re-  
tè sese habentibus. Hinc fit, ut ille (Deus) hominis procreandi universalis; hic verò (homo) ejusdem causa particularis sit & vocetur.

§. 2. Communem & hanc esse divisionem, & certō modō cuivis causarum generi applicandam, ex inductione probare conamus: Si enim datur Efficiens, Materia, Forma & Finis universalis & particularis, seqvitur in omni causarum genere hanc divisionem locum invenire,

Sed prius est verum, E. & posterius.

Connexio manifesta est ex sufficienti generum causarum enumeratione. Assumtum, quā causam efficientem jam fuit probatum; quā materiam & formam, probant Physici, quando illam in primam (universalem) & secundam (particularem;) hanc in generalē & specificam dispescunt; Quā finem res est evidens. Omnes siqvidem alium universalem, particularem alium, nobiscum contentur.

## Theorema VII.

(II.) In adæquatam, quæ cum effectu suo recurrit, & inadæquatam, quæ non recurrit.

§. 1. Recurrere cum effectu est ponere effectum, ab eoq; iterum ponit: Non recurrere, neq; illum ponere, neq; ab illō ponit. Omnem itaq; causam, quā positā, ponitur effectus, adæquatam, quā positā, non ponitur effectus, inadæquatam ve sim nomines. Sic e.g. positā seu datā rationalitate, ponitur seu datur risibilitas: Posito igne, ponitur calor & vicissim. Ergo rationalitatem risibilitatis, ignemq; caloris causam adæquatam jure dico. Non verò futorem calcei, vel scrinariū mensæ causam adæquatam, sed inadæquatam appellare fas est, qvia posito furore & scrinario, non illicò ponuntur calceus & mensa.

§. 2. Ut-

§. 2. Ut ut autem nec hæc generis in species sit divisio, bonam tamen eam & quatuor causarum speciebus communem, quin dicamus, non video quid obstat. Militat pro hâc sententiâ eadem, quæ in Theoremate præcedenti adducebatur Inductio, quam conflictui reservare, quam cum tædio nunc pluribus repetere malo.

## Theorema VIII.

Fuit causa. Seqvitur Causatum, quod à causis suum esse habet.

§. 1. In causæ descriptione mentio siebat *alius cuiusdam* à causâ dependentis. Istud aliud est causatum, quod alias effectum, sumpto vocabulo generaliter, appellant. Notat autem hoc causatum omnem ἐνέργειαν seu operationem; vel etiam ἐνέργημα omne, seu opus, quod à verâ & propriè sic dicta causâ proficiscitur, sive istud sit Materiatum, sive sit Formatum; sive Finitum, sive Effectum in specie sic dictum, prout quidem ab aliâ atq; aliâ causâ dependet.

§. 2. Uthoe causatum semper sit realiter distinctum, non est necesse. Sufficit distinctio formalis seu diversus respectus. Sic una eademq; actis, unus idemq; effectus potest dici formatum, materiatum, finitum, & effectum, prout nempe, ad unam harum causarum, à quibus dependet, relatio instituitur. Sed quod Aristoteles de relatis dicit: ενδν τις εἰδὴ ὡρισμένως τὰν πξός τι κάκειο, πξός ο λέγεται ὡρισμένως εἴσεται, h.e. Si quis unū relatorū definitè noverit, etiam alterū definitè noscet. Idem fortassis ad præsentem materiam applicari poterit, cùm causa & causatum multa cum relatis communia habeant. Filum ergò hîc abrumpo, & ad causæ affectiones præcipuas pergo enucleandas. Has regulis sequentibus includere lubet.

Arist. lib. Cœ  
tag. c. 7, §. 27.

## Reg. I. Causa & Effectus non sunt idem.

§. 1. Res quæ causæ & effectus appellatione veniunt, considerantur dupliciter, 1. materialiter seu absolute, 2. formaliter seu re-

*specifivè.* Per considerationem materialē denotatur tantum Ens, quod ita vocatur circa respectum nullum, quem vel causa ad effectum, vel effectus ad causam habet. Performalem verò seu respectivam indicatur *χέσις*, habitudo seu ipsa relatio, quam alterum ad alterum habet.

§. 2. Identitas etiam, ut alias distinctiones quō pertinent, mittam, alia est *realis*, alia *formalis*; alia *specificā*, alia *numerica*. Realis identitas est, quae non datus inter diversos conceptus objectivos, formalis, quam neque; inter diversos objectivos, neque; inter diversos conceptus formales invenire licet. Identitas specificā est, per quam res in specie unā, numerica, per quam in uno individuo sunt eadem & convenientia. His præmisīs sic *limite & probo* regulam: Causa & effectus (a) formaliter & respectivè considerata, non sunt idem, identitatem scilicet. (b) formaliter & numerica, licet possint esse idem (c) materialiter & absolute accepta, quoad identitatem (d) entitatem seu materialem & specificam:

Opposita non sunt idem,

Causa & effectus h. m. spectata sunt opposita,

E. Causa & effectus h. m. spectata non sunt idem.

## Reg. II. Omnis causa prior est causato.

Arist. lib.  
Categ. c. 12

z. Rhet. c. 23

§. 1. Aristoteles, quando meminit prioritatis, quinque recenset modos, qui hic quidem omnes, sed non omnipotentes applicari causæ. Quamvis enim, quod dicitur *causa*, non nunquam & natura, & tempore & ordine & dignitate seu nobilitate alteri, quod vocatur *effectus*, preferatur; Non tamen de omnibus, quibus id nominis imponitur, omnis haecasserenda videretur prioritas. Sequentem ergo datæ regulæ addimus restrictionem. Omnis causa prior est causato, si non prioritate semper temporis vel dignitatis, semper tamen prioritate ordinis vel naturæ. Ubi verò notandum ulterius, quod, quando causa tempore dicatur effectus prior, illa debet spectari non in esse relativo actuali, de quo verificatur illud Aristotelis: οὐα τὸ ἀγόντων καὶ τὸ ἀγόντων: Sed in esse relativo potentiali, vel in esse planè absoluto. Probamus hanc regulam sequenti Syllogismo:

Omnis

Omne principium est prius principiato,  
Omnis causa est principium, & omne causatum principi-  
cum,  
E. Omnis causa prior est causato.

### Reg. III. Omnis causa agit.

§. 1. Tam subjectum quam predicatum hujus regulæ sunt ex-  
aminanda, & utrumq; ab ambiguitate, quâ laborat, liberandum.  
Subjectum quod ponimus universale, complectitur solum id, cui  
nomen cause philosophicè & significatione in theoremate primo de-  
fensâ acceptum, attribuitur. Predicatum hîc non sumitur strictè,  
pro eâ tantùm actione, quæ solius cause efficientia est, & juxta cele-  
briores Metaphysicos, ejusdem causalitatem vel formalem ra-  
tionem constituit, sed latè & ad rem applicatè, quatenus tò agere  
idem est ac in causatum influere, sive istud fiat, agendo propriè, idq;  
vel realiter, vel intentionaliter, sive fiat patiendo, seu recipiendo, quâ  
in significatione id vocabulum usurparunt, Scaliger, Aristote-  
les, & alii haud insimil subsellii Metaphysici, qvæs vide. Nos ut seq. Exer. 37.  
probemus regulam, ita collimus:

Qvicquid est de definitione cause, id omni veræ cause con-  
venit,

Sed tò agere in hâc significatione est de definitione cause,

E. nò agere in hâc significatione omni veræ cause convenit.

seq. 27.  
Arist. 2. Phys.  
c. 3. l. 34.  
Et 5. Met. c. 2.  
Stat. in Reg.  
Phil. Tit. 3.  
Reg. 16. p. 97.  
seqq.

### Reg. IV. Positâ causâ ponitur effectus, & vi- ce versa.

§. 1. Supra dixi duo in quâvis causâ & effectu esse consideran-  
da, materiale seu esse absolutum, & formale seu esse respectivum. Et  
hoc & illud quid sit, ibidem dedi explicatum. Nunc ex Theor.  
VIII. quod de effectu scribebam, breviter repetendum est, quod  
nimirum aliis sit è vègèia operatio, aliis è vègynia, opus ipsum.

§. 2. Per tò ponî intelligo existentiam, ita ut positâ causâ, idem  
sit ac existence causa. Jam allatam regulam ita limito: Positâ  
causâ quâcunq; verâ ac propriè sic dictâ, proximâ, ad aquatâ, forma-  
luer,

titer, in esse cause, seu respectivo actuali, nec impeditā, ponitur effe-  
ctus, sive iste sit determinatus, h. e. talis vel talis, prout scil. causa  
est talis vel talis, & in tali vel tali actu ponitur; Sive sit indetermi-  
natus, prout & hæc est indeterminata; Sive sit ἐνέργεια seu opus  
aliqvod perfectum; Sive sit ἐνέργεια seu operatio. Hanc regulam  
ita circumseptam, seqvens probabit Syllogismus:

Relata se invicem ponunt,  
Causa & effectus sunt relata,  
E. Causa & effectus se invicem ponunt.

## Reg. V. Qvicquid dicitur de causâ, dicitur etiam de effectu & contra.

*Tipl. 3. Met.* §. 1. Solet hæc regula aliàs sic efferti: *Qualis causa, talis est ef-*  
*fectus.* Et sensus ejus est hic: *Causa & effectus habent eadem predi-*  
*cata:* Sic Pater seu homo generans, & Filius seu homo genitus ea-  
*dem praedicata recipiunt.* Ille enim est rationalis, hic qvoq; est  
*rationalis;* Ille est risibilis, hic qvoq; est risibilis; Ille doctrinæ  
*Log. c. 2.* capax est, & hic est capax ejusdem, &c.

*Goclen. in Probl. c. 7* §. 2. *Quid cause, quid effectus nomine veniat, & quod respectu*  
*p. 169* *hoc in canone ista considerentur, priùs explicandum, poste à*  
*Catō. in Metaph. divin.* *qvoq; de praedicatis quædam sunt tradenda, quibus expeditis satis*  
*part. 1. p. 531* *erit expeditum, quomodo axioma hoc, quo vix ullum in disputa-*  
*tionibus frequentius, salvari queat. Ex parte igitur cause, distin-*  
*gvo(a) inter causam veram & apparentem, (b) inter causam per se &*  
*per accidens, (c) inter causam univocam & equivocam, (d) inter*  
*causam universalem & particularem (e) inter causam formaliter &*  
*materialiter, item (f) inter causam sub notione primâ & secundâ*  
*spectatam. Et hæc omnia simili noto circa effectum. Ex parte præ-*  
*dicatorum distingvo (α) inter praedicata propriè & impropriè sic di-*  
*cita, (β) inter praedicata essentialia & accidentalia, (γ) inter praedica-*  
*ta realia, notionalia & personalia. Jam ita limito regulâ: Qvicquid*  
*dicitur (1.) qvoad praedicata propriè sic dicta, essentialia, realia,*  
*(2.) de causa verâ, per se, univocâ, particulari, materialiter & sub*  
*notione primâ spectatâ, dicitur etiam (3.) de effectu verô, per se,*  
*univoco, particulari, materialiter, & sub notione primâ specta-*  
*to, & contra.*

§. 3. Ve-

§. 3. Veritatem hujus regulæ seqvens continet collectio:  
Qvorum essentia est eadem, illorum quoq; prædicata sunt  
eadem,  
Talis causæ & effectus essentia est eadem,  
E. Talis causæ & effectus prædicata quoq; sunt eadem.

## Reg. VI. Causa causæ est etiam causa causati.

§. 1. Qvamvis hæc regula locum etiam non raro habere videatur, in causis diversi generis, nolo tamen eandem nunc extender, sed tantum ad ejusdem generis causas, & imprimis ad *Efficientes*, nec non *Materiales* & *Finales* causas restringere.

§. 2. Distinctionem autem hic noto inter causas, quarum aliae per se & essentialiter sibi invicem sunt subordinatae, aliae solùm per accidens & non essentialiter. Illæ ita inter se sunt affectæ, ut altera ex naturâ suâ pendeat ab alterâ *in causando*: *Harum* verò altera ab alterâ aliquo saltim modo alio, non *in causando* dependet. Videatur Fonseca & Scot. Jam ad regulam: Causa causæ semper est causa causati, qvando scil. causa alteri causæ non *accidentaliter*, sed *essentialiter* subordinatur. Probatur hæc regula:

Quæcumq; causa in productione causati concurrit, illa est causa causati,

Sed causa causæ essentialiter subordinata in productione causati concurrit,

E. Causa causæ essentialiter subordinata est causa causati.

## Reg. VII. Effectus non prædicatur de causâ, nec causâ de effectu.

§. 1. Exemplum hujus regulæ desideras? En tibi causam, rationalitatem, & effectum, risibilitatem, quarum neq; hæc de illâ, neq; illâ de hâc rectè prædicatur. Absurdam enim & sanis auribus haud convenientem formaverim enunciationem hunc in modum hos terminos componens: *Rationalitas est risibilitas, vel; risibilitas est rationalitas.*

§. 2. Distinguendum est (a) inter effectum & causam *veram* & *apparentem*, (b) inter effectum & causam *in esse effectus & causa, & in esse absoluto spectatis*, (c) inter prædicationem propriam & me-

Fons. 2. Mod.  
c. 2. q̄uest. 1.  
sect. 2.  
Scot. 1. Sent.  
distinc. 2.  
q̄uest. 2.

& metaphoricam, (d) inter affirmativam & negativam, (e) Logicam  
& Rhetoricam, (f) Synonymicam & paronymicam, (g) qvæ fit in casu  
recto, & qvæ fit in casu obliquo. Hoc jam dico: Effectum verus non  
prædicatur, predicatione propriè sic dictâ, affirmativâ, Logicâ, Sy-  
nonymicâ, & qvæ fit in casu recto, de causâ verâ propriè sic di-  
ctâ, qvatenus in esse causæ spectatur, & vice versa. Probatur tali  
Syllogismo:

Qvæcunq; distingvuntur essentialiter, illorum alterum de al-  
tero non prædicatur,

Effectus & causa distingvuntur essentialiter,

E. Effectus & causa alterum de altero non prædicatur.

---

### Superponia.

1. Præmissæ conclusioni veritatem nondant, sed saltēm  
eam ostendunt.

2. Absurdè dicit, qvicunq; dicit, Philosophiam contra-  
dicere Theologiæ.

3. Non tantum in Philosophiâ, sed etiam in Theologiâ  
& aliis Facultatibus, qvando disputandum est, Lo-  
gicè & formaliter disputandum est.

4. Affirmanti incumbit probatio.

5. Respondens principium petere nequit.

6. Seqventis Syllogismi forma bona est:

Qvicunq; non sunt ex Deô, verbum Dei non audiunt,  
Judæi non sunt ex Deô.

E. Judæi verbum Dei non audiunt.

7. Forma contra seqventis Syllogismi vitiosa est:

O. Credentes salvantur,

Pauci sunt credentes,

E. Pauci salvantur.

SOLI DEO GLORIA.

Coll. diss. N. 127, misc. 27